



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Concilivm Romanvm II. Svb Ivlio In Causa Athanasii Aliorvmqve
Episcoporvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

cimus septimus nonagesimo sexto numero consignatus erat ; adeo ut plane hinc appareat, eos non ex ipso Antiocheni Concilii codice, sed ex quadam iam ante facta collectione communi maiorum auctoritate probata editos fuisse. Baronius num. 34.

ANNO
CHRISTI
341

CONCILIVM ROMANVM II. SVB IVLIO

IN CAUSA ATHANASII ALIORVMQVE EPISCOPORVM.

Causa huius Concilii.

^a *Concilium.*] Cum Ariani per Alexandrinæ ecclesiæ legatos Romæ coram Iulio pontifice conuicti ad Concilium appellassent, pontifex eorum appellationi deferens, hanc Synodum Romæ celebrandam indixit : cumque querelæ aduersus Arianos aliunde accumularentur, ipsos cum Athanasio per literas debite citatos, certo atque præfixo termino præsentés adesse mandauit. Athanasius pontificis mandato obtemperans, tempore quo oportebat mature præsto fuit. Ariani vero post futes illas & inanes excusationes, de quibus supra in notis ad epistolam 4. Iulii, encæniorum Antiochenæ ecclesiæ celebritatem prætexentes, non modo contumaciter se absentarunt, verum etiam Conciliabulo quodam, de quo supra, ibidem celebrato, Athanasium episcopatu & sede Alexandrina amouerunt, inque

Primus Athanasius monasticam vitam in occidentalem ecclesiam introduxit.

eius locum Gregorium Cappadocem Arianum subrogarunt. Interea Athanasius Romæ Ægyptiorum monachorum institutionem, & admirabilem vitam magni Antonii adhuc uiuentis a se descriptam promulgauit, & ad imitandam & consecrandam vitam monasticam, omnibus hominibus reuerendam, ex Romanis feminis nobilissimas plurimas induxit. Sanctus Hieronymus epist. 16. ad Principiam. Publicam etiam ibidem catholicæ fidei professionem, quæ symbolum Athanasii appellatur, Latino sermone coram pontifice eique assidentibus recitauit. Hanc pontifex ab ipso cognitam atque susceptam, vna cum actis Synodi in amplissimo Romanæ ecclesiæ

Symbolum Athanasii quando & ubi compositum.

archiuo collocari mandauit. Cum iam Athanasius Romæ ultra annum & sex menses aduentum Eusebianorum expectasset, ne diutius quam par erat ab ecclesia abesset, causa illius in iudicium 50. episcoporum deducta est : qui cum actis Tyriis & Mareoticis (quæ nocturno tempore fugientes Arianorum legati turpiter conuicti, ut patet ex 4. epistola Iulii, Romæ reliquerant) diligenter præ-

Athanasius quam diu Romæ moratus. Numerus episcoporum.

uiuis, accusantium calumniam deprehendissent, Athanasium calumniose accusatum absoluerunt, in communionem ecclesiæ receperunt, eumque literis communicatoris ad suos redeuntem dimiserunt. Id quidem Iulius in epistola 4. quam ad Eusebianos ex III. Romano Concilio post cladem Alexandrinam scripsit, testatur his verbis : *Cum igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam iusta pro se afferret, quid quæso nos oportuit facere? An non quod ecclesiastici Canonis est? hominemque proinde non condemnaremus, sed potius recipere, eumque pro episcopo,*

Athanasius a Concilio secundo absolutus.

ANNO
 CHRISTI
 341.

quemadmodum est, haberemus, &c. Hoc secundum est iudicium, quo ipse Athanasius a calumniis sibi ab Eusebianorum malitia illatis publice absolutus est. Qua de re initio suae apologiae secundae haec ipse scribens ait: *Presbyter enim Vitus plures episcopos quam quinquaginta ad Concilium adduxit, ubi & nostra defensio recepta fuit, nosque digni habitum sumus communionem & agape.* Ibidem haec: *Quod ad nos attinet, nullo iudicio opus est. Iudicatum est enim non semel secundum nos, sed saepius & saepius: primum quidem in nostra provincia, cum ad id coissent propemodum centum episcopi: secundo Roma, nobis ceterisque aduersariis Eusebii ad eius criminosas literas iudicio comparentibus. Fuerunt autem in eo Confessu plusquam quinquaginta episcopi.* De cognita hoc eodem Concilio causa Marcelli Ancyranus episcopi, qui, ut in Conciliabulo Constantinopolitano sub Marco videre est, ob Samosatensianam haeresim ab Eusebianis sede sua deturbatus, & in exilium relegatus, Romanum pontificem appellans, Romam (teste Athanasio) profectus est, haec Iulius pontifex praedicta epist. 4. *De Marcello autem, postquam de illo quoque ut impio in Christum perscripsistis vobis studui significare, eum, cum huc venisset, affirmasse falsa esse qua de se literis vestris scripta essent. Sed tamen cum a nobis postularetur, ut de fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet eum nihil a veritate proferre alienum, sed eadem pietate, qua ecclesia de Domino ac Salvatore nostro sentire: neque iam tantummodo, sed etiam olim huius sententia se fuisse confirmabat, &c.* Quod vero non Athanasii tantum atque Marcelli, sed & aliorum quamplurium, querelas de illata sibi ab Arianis vi & iniuria afferentium, causae hac Synodo discussae fuerint, subditur his verbis: *Non solum Athanasius & Marcellus episcopi cum querimoniis de illatis iniuriis, sed & plurimi alii episcopi ex Thracia, Caesaryia, Phoenicia, Palaestina huc conuenere: presbyteri item non pauci, partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Concilium occurrerunt, & coram omnibus episcopis ibi congregatis inter reliqua dicta sua conquesti sunt vim & iniurias ecclesiae illatas esse, suasque ecclesias eadem qua Alexandrina passas esse.* Id sane non citra probabilitatem intelligi posset de Eustathio Antiocheno episcopo, quem sede Antiochena deturbatum (ideo quod in matrem Constantii principis contumeliose locutus fuisset, atque Sabellianae haereseos sectator, mulierculae cuidam stuprum intulisset) in exilium relegauerant, anno nimirum Christi 340. quo post Synodum hanc Romae indictam, Paulum Constantinopoli Alexandro in episcopatu successum Eusebium Nicomediensis olim antistes, Constantinopolitanæ sedis inuasor, deiecit. Ita tres acerrimos Nicænae fidei defensores, ab Arianis sedibus suis amotos, legitima iudicii forma obseruata absolui, sedibus suis restitui, intrusos exinde amoueri necessum erat. Vide Baronium anno Christi 340. num. 1. 2. & sequentibus, item 341. num. 46. & sequentibus.

Secunda
 synodalis
 absolutio
 Athanasii
 quæ?

Marcelli
 causa in
 Synodo
 cognita.

Eustathii
 Antiocheni
 causa hic
 cognita.

SYMBOLVM ATHANASII,
ROMÆ EDITVM ANNO CCCXL.ANNO
CHRISTI
341.

QVICVMQVE vult saluus esse, ante omnia opus est vt teneat catholicā fidem: quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit absque dubio in æternum peribit. Fides autem catholica hæc est: vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: sed Patris & Filii & S. Spiritus vna est diuinitas, æqualis gloria & coæterna maiestas: qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus: æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus: sicuti non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus: & tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: & tamen non tres dii, sed vnus est Deus: ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, & tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus. Quia sicut singillatim vnamquamque personam Deum aut Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur. Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus est: Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus est, sed procedens. Vnus ergo Pater, non tres patres; vnus Filius, non tres filii; vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Ita vt per omnia sicut iam supra dictum est, & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitatem veneranda sit. Qui vult ergo saluus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad æternam salutem, vt incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus no-

ANNO
 CHRISTI
 341.

ster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, homo ex substantia matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum diuinitatē, minor Patre secundum humanitatem. Quilicet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitatem personæ: nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum. Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmeque crediderit, saluus esse non poterit.

N O T A.

Athanasius Romam a Iulio pontifice maximo vocatus, vt iudicaretur, cum Eusebianorum aduentum anno integro & sex mensibus, vt supra dixi, expectaret, hoc symbolum fidei Romæ scripsit, ac tamquam catholicæ suæ fidei professionem publice edidit. Quod cum actis Nicenæ Synodi in archiuo Romano diu asseruatū, tandem post multa annorum curricula tradi meruit ecclesiæ recitandum, ab illo altero Athanasii scripto, quod inscriptum est, *Expositio fidei*, quodque in primo operum eiusdem tomo habetur, diuersum. Meminit autem symboli huius Augustinus in psal. 120. super illud: *Per diem sol non vret te, neque luna per noctem*: vbi citat integrum versum eius symboli, nec desunt alibi loca, quæ eiusdem verbis atque sententia conspersa cernuntur. Ac quamquā in vniuerso pene Christianorum orbe hoc symbolum receptum, & in summa veneratione habitum fuerit, a Græcis tamen iis, qui sese a Romana ecclesia præsciderunt, pars illa truncata est, qua Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere asseritur: eo falso prætextu, quod nuper a Latinis (vt aiunt) superaddita fuerit, cum liqueat ante annos 960. ita vt se nunc habet, legi solitum. Quod ex cap. i. Concilii Tolet. IV. & ex testimonio apostolicæ sedis legatorum ad Græcos, Gregorio IV. Rom. pontifice, ex illa ipsa fidei definitione, quæ in Vaticana & Sfortiana bibliothecis habetur in Vrbe, atque ex decreto Eugenii ad Arme-

Symbolum
 Athanasii
 qua occa-
 sione &
 quando
 Romæ
 scriptum.

Symboli
 huius pars
 quæ & cur
 a Græcis
 truncata
 sit.

Inscriptio
Treuren-
sis de sym-
bolo in pu-
teo compo-
sito susce-
pta.

Cur Atha-
nasius scri-
psisse hoc
symbolum
exul dica-
tur.
Posseuini
sententia.

nos in Concilio Florentino manifestissime constat. Inscriptioem illam, quæ hodie adhuc apud Treuiros legitur in puteo sui exulantis receptaculo, de fide suspectam esse ex eo conuincitur, quod imperator occidentis, & Maximinus episcopus Treuirensis non instar exulis, sed carissimi potius hospitis & amici eum Treueris honorifice exceperunt, atque humanissime tractarunt. Vnde Baronius anno Christi 340. num. 14. fabellam esse putat, hoc symbolum, vt ab aliquibus fertur, ab Athanasio Treuiris in puteo latitante scriptum fuisse. Quod autem exul illud scripsisse dicatur, ita accipiendum est, inquit, quod omnis Athanasii a sua Alexandrina ecclesia absentia, occasione suorum hostium facta, ab ipso Athanasio & ab aliis exilium appellari consueuerit. Vide Baronium prædicto anno num. 11. 12. 13. & 14. Posseuinus in suo apparatu sacro, verbo *Athanasius Alexandria*, probabile esse iudicat, vt, sanctissimæ Trinitatis acerrimus propugnator, hymnum illum locis quibus potuit omnibus scripserit, cantauerit & disseminauerit. Qui post Bellarminum cardinalem, Gilbertum Genebrardum, Nicolaum Serrarium in symbolum Athanasii scripserint, vide Posseuinum prædicto loco apparatus sacri.

ANNO
CHRISTI
341.

CONCILIVM ROMANVM III.
SVB IVLIO.

ANNO
CHRISTI
342.

NOTA.

Locus, tem-
pus & cau-
sa Concilii.

Concilium.] Hoc Concilium celebratum est Romæ anno Domini 342. post cladem illam Alexandrinam, qua Gregorius in locum Athanasii ab Eusebianis Antiochena Synodo successus, magna Christianorum calamitate & templorum incendio in urbem introductus est, quove cladem Alexandrinam præuisam fugiens, Romam reuersus, ibique deinceps triennio commoratus est, cumque Elpidius & Philoxenus ab Eusebianis in oriente hucusque detenti, cum literis ex Antiocheno Conciliabulo ad Iulium acerbissime & contumeliose scriptis, tandem dimissi fuerunt. Qui vbi prædicto anno Romam venissent, obtulissentque pontifici Arianorum literas, quibus de Athanasio absoluto, de termini ad comparendum præfixi angustia, de iudicio Romani pontificis & Concilii illegitime vsurpato, deque aliis pluribus, quæ supra in notis ad epistolam Iulii 4. attingi, conquerebantur, pontifex hac Synodo comprouincialium, secundum apostolicam constitutionem congregata, literas eorum aliter quam statuerat legi & publicari demandauit, quidve calumniatoribus respondendum videretur inquisiuit. Placuit autem omnibus ibidem congregatis, vt per epistolam a Iulio omnium nomine scriptam, calumniæ Eusebianorum refutentur, iniuriæ depellantur, & iusta Athanasii, Marcelli, aliorumque facta synodali absolute defendantur. Ita intelligendum est illud Athanasii apol. 2. quod post illa verba: *Presbyter Vitus plures episcopos*, &c. supra allegata

Decretum
Concilii.